1515. d. 13 Junij

Serenissimo Principi ac Domino Sigis:
:mundo Regi Poloniæ. Fratri
Charissimo –

Maximilianus Electus Romanorum
Imperator semper Augustus –

82

Serenissime Princeps Frater noster Cha:
:rissime. Salutem cum incremento
nostri Fraterni amoris –

Festinantibus nobis ad Serenissimum Dominum
Regem Hungariæ, communem Fratrem
nostrum Charissimum, et Serenitatem Vestram
subdidit Calchar Honorabilis Hieronymus
Balbus Præpositus Posonij. Ejusdem com:
:munis Fratris nostri Charissimi Secreta:
:rius, et orator ad nos missus, et tanto plus ma:
:turamus, et si nobis licuisset ob negotia Rei:
:publicæ Christianæ, plus profectò quam ob
nostra, jam pridem et expectationi Serenitatis
Vestræ, et Desiderio nostro, fuisset satisfactum.
Quod cum hactenus non potuit fieri, tanto
fœlicius brevi fiet, et omnino circa Secundam
Julij proxime venturi, erimus infallenter

Viennæ

infallenter Viennæ, Deo Duce, sicuti latius Declaravimus Eidem Oratori, Serenissimi communis Fratris nostri Charissimi, qui latius et scribet, et præsens in adventu suo ambabus Serenitatibus Vestris referet, et quæ vidit de progressu nostro, præsens testificabitur Serenitati Vestræ. Quam omnipotens felicem et incolumem conservare Dignetur. Datum in Oppido nostro Rottemberg ad Enud. Die Decima Tertia Mensis Junij, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Decimo Quinto.